

A N A L E C T O R V M  
C R I T I C O R V M  
I N  
V A R I O S S C R I P T O R V M G R A E C O R V M L O C O S  
F A S C I C V L V S.

---

A D

O R A T I V N C V L A S L A T I N A S  
I N S C H O L A T H O M A N A

P R I D I E N O N A S M A I A S A . C . c l o i o c c c i i . 1802



H O R A I X . A N T E M E R I D .

H A B E N D A S

I N V I T A N T

R E C T O R C A E T E R I Q V E M A G I S T R I .


F. W. E. Rost.

---

L I P S I A E ,  
E X O F F I C I N A K L A U B A R T H I A .

LEIP  
11 (1802)

doubt.



---

EVRIPIDIS HECUBA v. 1244.

Θανάσσα δὲ ζωστή ἐνθάδε ἐκπλήσσω βίον;

**H**uius loci difficultatem senserunt omnes, quicunque eruditam operam huic fabulae navarunt. Id quod eorum docent variae emendationes. Nam pro vocabulo *βίον* censet Musgravius legendum esse *πότμον*, Brunkius et Iacobsius *μόρον*, Porsonus autem, qui nihil mutauit, fatetur tamen vitium hic latere. Hermanno vero bene se omnia habere videntur, modo coniungatur ἐνθάδε non cum his ἐκπλήσσω *βίον*, sed cum illis θανάσσα δὲ ζωστή, et phrasis ἐκπλήσσω *βίον* non vertatur *viuere*, sed *ad vitae finem peruenire*. In quo extremo cum me consentientem habeat, videor tamen in reliquis ab acuto critico discedere debere. Quum enim verba ista haec significare velit: *Vtrum moriens, an viuens ibi, ad vitae finem perueniam?* perspicere nequeo, quomodo dicere potuerit, nihil remanere, in quo quis possit offendere. Nam vel sic obscura Hecubae sententia, imo plane incommoda, mihi videtur. Quoniam enim ad vitae finem moriendo, non viuendo, per-

venimus, alterum ζῶσα repugnat, alterum θαυμάσα superuacaneum est, quia idem valet, quod ἐκπλήσσω βίον, et satis erat interrogare Hecubam: ἀρέα γε ἐνθάδε ἐκπλήσσω βίον; Polymestorem autem respondere: ἐκπλήσσεις. Itaque cum de corrigendo hoc loco cogitarem, incidi forte fortuna in eam opinionem, ut pro ἐκπλήσσω βίον legendum esse ἐκπλεύσω κύων putarem. Quam emendationem ab initio ob facilitatem vnicē mihi commendatam, posteaquam cum toto sermonis contextu, et animo Hecubae, ad irridendum nouum vatem procliui, optime congruere viderem, ita amplexus sum, ut non dubitem eam loco corruptorum verborum ἐκπλήσσω βίον in textum recipere. Nam quod Polymestor Hecubae praedicit, eam in canem mutatum iri, id ei adeo absurdum videtur, ut non solum non angatur propterea, sed totam rem in risum atque jocum vertat. Ac primo eum deridet, quod in alienis malis cernendis acutus, in suis coecus sit: deinde quaerit, vtrum canis facta peritura sit, nec ne? tum quasi delectatur spe, fore ut a forma sua canina tumulus adpelletur: denique nihil se morari hoc dicit, contentam eo, quod ab ipso poenas sumferit. Facit igitur Hecuba delicias, tantumque abest, ut in hominem ex cane redire velit, ut in hac forma diutius viuere exoptet. Quare ex nostra mente legatur necesse est sic: θαυμάσα δ', οὐ ζῶσ' ἐνθάδε ἐκπλεύσω κύων; num vero mortua an viua canis huc enatabo? Vel, si malueris, per me legas etiam ἐνθεύ, pro ἐνθάδε.

ARISTOPHANIS NVBES v. 466 - 471.

ώστε γε σοῦ πολ-  
λοὺς ἐπὶ ταῖσι Θύραις αἱεὶ καθῆσθαι,  
βαλομένους ἀνακοινοῦ-  
σθαι τε καὶ ἐς λόγον ἐλθεῖν  
πεάγματα καντιγεαφὰς πολλῶν ταλάντων  
ἄξια σῇ Φρενὶ συμβα-  
λευστομένους μετὰ σοῦ.

Horum versuum vis atque sententia tamdiu obscura et incerta manebit, quamdiu nescias, quorsum haec tria verba *ἀνακοινωσθαι*, *ἄξια* et *συμβελευσομένους* referas. Ac *ἀνακοινωσθαι* quidem, si, ut videtur, ad *πράγματα* referendum est, alieno loco stare facile adparebit, quam licentiam poeticam merito vocaueris; quare ista verba in versione latina editionis Lugduno Batauae transposita sunt ita: „cupientes te conuenire, et tecum colloqui, atque communicare tuae solertiae negotia et lites multis talentis aestimatas, de quibus consultabunt tecum.“ Sed quia eiusmodi verborum transpositiones poetis haud inusitatae sunt, non opus esse videtur, ut, quod olim mihi placebat, particula *τε* mutetur in *τι*, qui effet accusatiuus cum *ἀνακοινωσθαι* iungendus. Tum, quod ad vocabulum *ἄξια* attinet, pendent ab eo non datiuui *σῆς Φρενί* sed genitiui *πολλῶν ταλάντων*. Quanquam enim probe scio addi nonnunquam vocabulo *ἄξιον* datiuum personae, cui quid dignum aliqua re videatur; huius tamen loci sententia id non fert, quia Chorus dicere non debebat, ista negotia e mente Strepfiadae (*σῆς Φρενί*) digna fore multis talentis, sed simpli-

citer digna esse. Quando vero *ἄξια σῇ Φρενὶ* reddis, quae digna erunt tua sapientia, tum obscurum est, quid sint *πράγματα πολλῶν ταλάντων*; ea enim significare possunt aut negotia de multis talentis, aut multis talentis aestimata. Quodsi autem vocabula *σῇ Φρενὶ* referas ad *ἀνακοινωσθαί*, vt fecit interpres Bataeus, maius fieret hyperbaton; sed et extrema *συμβολευσομένους μετὰ σοῦ* vehementer frigerent, tanquam plane superiuacua: vt taceam *σύνθεσιν ξενικὴν* videri. Pronomen vero *σοι* facile ad *ἀνακοινωσθαί* suppleri potest, pariter atque ad *εἰς λόγον ἐλθεῖν*, quae verba cum *σῇ Φρενὶ* iungere absurdum esset. Itaque existimamus *σῇ Φρενὶ* iungendum esse cum *συμβολευσομένους*, ita vt magna sit in his verbis emphasis, sic declaranda: *te sapientem hominem consulturi*. Vnde planum fit, expungi debere omnino vocabula illa *μετὰ σοῦ*, quae interpolata videntur. Quae si eiiciuntur, numerorum ratio neutiquam perturbatur. Oritur enim tum versus logaoedicus, nempe dactylicus trimeter catalecticus in bissyllabum, adiecta in fine dipodia trochaica, similis praecedenti, *ἄξια σῇ Φρενὶ συμβολευσομένους*, cum hoc differimine, vt iambus in fine pro trochaeo valeat. Vel si cui hoc displiceat, is habeat hunc versum pro pentametro catalecticico in syllabam. Igitur ex meo sensu tollenda sunt verba *μετὰ σοῦ*, et locus iste sic vertendus est: ita quidem, vt multi ad fores tuas semper sedeant, cupientes te conuenire, et tecum communicare negotia et lites multis talentis aestimatas, *te sapientem virum consulturi*.

## ARISTOPHANIS PLVTVS v. 839.

*αὐχμὸς γὰρ ὃν τῶν σκευασίων μ' ἀπώλεσεν.*

Hic merito haeserunt Critici in vocabulo ὃν, quod abundare perperam statuit Brunkius. Nusquam enim abundant hoc participium nominibus additum, sed praeter alios usus, quos habet, adiungitur fere tum, quum iis causa significatur. Quae vis hic locum habere nequit. Nam verti deberet: *quia enim squalor supellectilis erat, perdidit me.* Tum vero deest subiectum personae vel rei, quae ipsum perdiderit. Neque affunditur huic loco lucis aliquid inedito scholio, quod sic habet: *τὸ δὲ ὃν οὐτὶ τῇ οὖν ιοητέον, τρεπομένης Δωρικῆς τῆς οὐδιφθόγγῳ εἰς ω μέγα. οὐτὶ τῇ ὑπάρχων, οὗτω. ἀπώλεσε γὰρ ἐμὲ αὐχμὸς τῶν σκευασίων ὃν καὶ ὑπάρχων ἐμοί.* Sed primo nescio quid hic sibi velit dialectus dorica; deinde pro eo, quod ὃν referendum erat ad omissum ἐμοί, rectius scripsisset poeta ὃν *τοῖς σκευασίοις.* Itaque nos pro γὰρ ὃν τῶν legimus duarum litterarum mutatione γερόντων. Usurpari autem hoc vocabulum etiam de rebus inanimis lexica vulgo docent, e. g. ap. Theocrit, Idyll. 7. γέρων πέπλος vetustate tritus.

## DEMOSTHENES DE CORONA c. 51. in fine.

*τοῖς δὲ ἡμῖν συναντήσασι, πανδημεὶ χρησόμεθα, τοῖς δὲ συμβέλοις  
ἡμῖν μὴ κειμένοις ἐπιζημίοις.*

De huius loci obscuritate magna interpretum querela est. Wolfius enim ita: Ego me hunc locum non intelligere fateor.

Reis-

Reiskii autem haec sententia est: Locus hic, si quis alias Demosthenis, obscurus et dubius est, eoque ab interpretum coniecturis vexatus, quorum videre est apud Taylorum, meis augere nugis nil iuuat — desperatus est et depositus locus, quem sanare cum nequeam, satius duxi, sic positum relinquere, quam inutilibus et malum exasperantibus coniecturis in irritum vexare. Reliqui cum his consentiunt, nihil omnino promouentes, praeter Scrimgerum, qui primus ita emendauit, *τοῖς δὲ μὴ συναντήσασι*, deinde pro *μὴ κειμένοις* posuit *προσθεμένοις*, quod etsi a recepta lectione longe distet, tamen lectori viam monstrat ad verum loci sensum inueniendum. Quem cum eum esse debere intelligeremus, vt Philippus foederatis Peloponnesi ciuitatibus, quae ipse opem laturaे essent, pacem, quae vero id non facerent, bellum promitteret; emendare hunc locum ex ingenio nostro ita ausi sumus: *τοῖς δὲ ἡμῖν συναντήσασι πανδημεῖ, χρησόμεθα ἐνξυμβόλοις, τοῖς δὲ ἡμῖν μὴ προσκειμένοις, ἐπιζημίοις.* Primo enim necesse est, vt aliquis datius casus adsit, qui ad *χρησόμεθα* referatur, quem cum Scrimgero vocabulum *συμβόλοις* esse putamus, quod propterea ante alterum *τοῖς δὲ* posuimus. Deinde, quia adparet sententias huius loci esse sibi oppositas, mutauimus *συμβόλοις* in *ἐνξυμβόλοις*, vt contrarium inferiori *ἐπιζημίοις* sit, pariter atque *μὴ κειμένοις* in *μὴ προσκειμένοις*, quod est oppositum superiori *συναντήσασι*. Denique prius illud δὲ idem valere quod *μὲν* δή, quilibet graecae linguae non nimium ignarus intelliget.

## XENOPH. MEMORAB. L. II. c. I. §. 32.

τιμῶμαι δὲ μαίλισα πάντων καὶ παρὰ Θεοῖς καὶ παρ' ἀνθρώποις, οἷς  
προσήκει· ἀγαπητὴ μὲν σύνεργος τεχνίταις, κ. τ. λ.

Interpretationem verborum *οἷς προσήκει*, a Zeunio post Brodaeum, Bessarionem et Leonclavium, allatam, ut scilicet *τιμᾶν* ἐμὲ ex praecedenti *τιμῶμαι* repetendum sit, sagacissimus Schneiderus improbat. Cui eam rationem ob ellipsin videri durissimam vix arbitror, quia doctum virum fugere non potuit, eiusmodi ellipses optimis scriptoribus frequentes esse. vid. Dorvillius ad Chariton. p. 355. ed. Lips. Nisi forte in sententia, quae inde oriretur, offenderit, jejuna sane atque frigida. Nam colite ab iis, quorum officium id est, non valde honorificum atque gloriosum videtur. Igitur suspicatur virtutem, amicos suos dicentem, ita fere loqui: *παρὰ ἀνθρώποις οἷς προσήκω, ἀγαπητὴ μὲν κ. τ. λ.* Quae verba quomodo vertenda sint, non dicit. Respici quidem ait ad formulam *ἀνδεὶ προσήκει* ὁ Δεμόσθ. ἀρετῆς. L. IV. c. 5. §. 11. Sed quomodo ea ad hunc locum illustrandum adhiberi possit, non intelligo. Tum enim scribendum erat sic: *οἷς προσήκει* ἐμῷ ἀγαπητῷ μὲν συνέργῳ τεχνίταις etc. ut Demosth. edit. Reisk. p. 954. 3. τέτοις δὲ δοτιέν προσήκει τῆς ναυαγίας. Quod cum non fecerit, in ista emendatione *οἷς προσήκω* merito haeremus, nec aliter intelligimus, quam sic: *ad quos venio*; de qua verbi *προσήκειν* significatione adhuc dubitamus, et si citra compositionem omnino dicitur *ἥκω πρός σε*: ut §. 27. Quoniam igitur novae coniecturae locum relictum videmus, suspicari liceat, an non scriptum

fuerit *oīs πρόσειμι*, quod idem valet ac *προσέρχομαι*, et omnino addendum erat; quia id non simpliciter verum est, virtutem omnium maxime ab hominibus honorari, sed ab iis tantum, ad quos accedat, h. e. qui ex familiaritate eius intelligent, quam sit ἀγαπητὴ σύνεργος τεχνίταις, et sic porro.

---

XENOPH. MEMORAB. L. III, c. 5. §. 10.

λέγω γὰς καὶ τὴν Ερεχθέως γε τροφὴν καὶ γένεσιν, καὶ τὸν πόλεμον τὸν ἐπ’ ἑκεῖνα γενόμενον πρὸς τοὺς ἐκ τῆς ἔχομένης ἡπείρου πάσης η. τ. λ.

Mirandum sane est ab huius loci interpretibus nihil moneri de duobus Erechtheis Athenienium ex intervallo regibus, qui a Xenophonte hic haud dubie confunduntur; quod a multis factum esse Heynus ad Apollod. p. 867. docet. Nam cum de bello ab Erechtheo primo, qui et Erichthonius dicitur, contra finitimos populos gesto, nulla vspiam mentio fiat; illud ἐπ’ ἑκεῖνα necessario ad alterum Erechtheum, cui cum Elefinis et Eumolpo pugnandum erat, referendum est. Sed quia idem Erechtheus haud memorabilem habuit educationem, qua contra Erichthonius inclaruit, vocabulum *τροφὴ* de priori Erechtheo intelligendum est. Sed quid faciendum esset vocabulo *γένεσις*, valde dubitarunt interpretes; quod quo minus ad Erechtheum primum referrent, verborum ordine,  
qui

qui contra rerum naturam esset, impediebantur: de secundo autem Erechtheo ideo non poterant intelligere, quod γένεσιν eius nupsiam celebratam reperiebant. Amplexi igitur cupide sunt emendationem Leisneri, ex γένεσιν facientis ξένισιν, et innuentis benevolentiam Atheniensium, qua errantem Cererem hospitio exceperint. Quae res ut est incerti temporis, et a plerisque sub neutro Erechtheo, sed Pandione, qui medius regnauit, accidisse narratur: ita non poterat sic simpliciter exprimi, sed addendum erat, ut acute vidit Weiskius, τῆς Δημητρος. Quod cum ita esset, suspicatus etiam sum, an non legendum sit potius ξενίην, hospitium, quod pariter atque τροφὴν referebam ad primum Erechtheum, qui a Minerva τροφὴν educationem, et ξενίην hospitium in templo accepisse dicitur. Sed ab hac audaciore emendatione mentem ad pristinam lectionem reuocavi auctoritate Etymologici M. ubi sub voce τροφὴ haec leguntur: καὶ ἐπὶ τῆς πολιτείας Πλάτων, τῶν πρετ τὴν τροφὴν καὶ γέννησιν τροφὴν μὲν γὰρ βεβώμα καὶ πόμα λέγομεν γέννησιν δὲ, τὰ αἰφεδίστα. Qua grammatici notatione inducor, ut et apud Xenophontem pro γένεσιν legendum esse censeam γέννησιν i. e. amores; quos nobilissimos tribuit Erichthonio Apollodorus L. III, c. 14. §. 7. qui cum τῆς τροφῆς mentionem fecisset: εὐ δὲ τῷ τεμένει τραφεῖς κ. τ. λ. addit etiam γέννησιν his verbis: καὶ Πασιθέαν Νηίδα νύμφην ἀγημεν κ. τ. λ. Atque sic ne id quidem reprehendi potest, quod γέννησις tanquam praepostero loco post τροφὴν nuncupetur. Denique non opus erat, ut doctissimus Weiskius in vocabulo τροφὴ ideo offenderet, quia ea res non commode in meritis numerari

queat. Etsi enim in educatione ipsa nulla virtus est, tamen poterat ἄγεσθαι εἰς τὸ καλὸν, et sic laudari inter alias Atheniensium virtutes, quarum commemoratione Socrates popularium suorum remissos animos ad maiorum aemulationem excitandos esse statuebat. Nam eiusmodi oratoria argumenta non ad obruffam exigi debere constat vel ex Isocratis Panegyrico, qui cum hoc colloquio omnino comparandus esse videtur.

---

Sed ne longiores simus in extricandis locis veterum scriptorum difficilioribus, huius libelli ratio et consilium prohibet. Indicenda enim sunt solemnia anniuersaria discipulorum e scholae Thomanae umbra in clarissimam Academiae lucem emittendorum. Quae licet magnam quotannis laetandi gratulandique materiam cum magistris, tum vero etiam discipulis, attulerint; nescio tamen an nunquam melioribus auspiciis instaurata fuerint, quam hoc tempore, quo scholae nostrae diuino quodam consilio is contigit honor ea-que felicitas, ut non renouanda memoria intermor-tua, sed viua atque immortalis virtus

VIRI

V I R I  
ILLVSTRIS AC MAGNIFICI  
HENR. FRIDER. INNOCENTII  
APELII

I. V. D. DOMINI VILLARVM ERMLITZ, TRAVT-  
SCHEN, COSTEWITZ, ETC. ELECT. SAX. A CONSILIIS  
AVL. ET IVST., EPISCOPATVS CIZENSIS PRAESVLIS,  
CONSISTORII LIPS. ASSESSORIS, CIVITATIS LIPS.  
CONSVLIS H. T. CVM FASCIBVS, AEDIS ET SCHOLAE  
NICOLAITANAЕ PRAEPOSITI,

celebranda sit. Qui laudibus nostris longe superior  
vir, cum ab ineunte aetate id propositum habuisset,  
vt ne latum quidem vnguem ab honestate decederet,  
et si puer tam afflita fortuna vteretur, vt publicis  
sumtibus ali haud recusaret; tamen Deo Opt. Max.  
et studia eius, et consilia fortunante, id consecutus  
est, vt, posteaquam fortunae atque dignitatis suae  
maiores in dies accessiones fieri vidisset, denique post  
quinquaginta annos, quam scholae Thomanae alu-  
mnus in Academiam exiisset, amplissimo Consulis Ci-  
vitatis Lipsiensis honore ornaretur. Quo in excelsa  
loco constitutus quantum et domesticis et publicis  
confi-

consiliis prodeesse ciuibus suis studeat, dicere non est res nostrae mediocritatis; quanta vero benevolentia scho-  
lae nostrae, siue potius sua, iuuenilis disciplinae pre-  
tium soluerit, nec vnquam aduersus eam mercede defun-  
gatur, nos omnium optime intelligimus, tantaeque beni-  
gnitatis memoriam apud seram posteritatem mansuram  
esse confidimus. Cuius exempli documentum, in illu-  
stri monumento positum, intueri, et sese ad memoriam  
eius componere atque ordinare, cum omnes adole-  
scentes nostros, tum in primis eos volumus, quos bonae  
spei plenos subtilioris doctrinae magistris iamiam tra-  
didimus, et proxime tradituri sumus. Discesserunt  
nempe e schola nostra mercatu autumnali

LUDOVICVS CAR. CHRISTIANVS AVG.  
ROSENVELLER

LIPSTENSIS,

IOANNES GOTTLIEB WENDT  
LIPSIENSIS,

CAROLVS CHRISTIANVS RAPSILBER  
LIPSIENSIS.

Nuperime vero

IOAN. CHRIST. GOTTLIEB BENNDORF  
SEEHVSANVS,  
CARO-

CAROLVS FRIDERICVS PVNSCHEL  
EHRENFRIDERSDORFENSIS,

CAROLVS AVGUSTVS STIELER  
BEYERFELDENSIS,

GOTTLIEB ADOLPHVS FLECK  
DAHLENSIS,

CAROL. FRIDER. SALOMO LISCOVIVS  
LIPSIENSIS,

CAR. FRIDER. SEGIMUNDVS GRAVN  
SEIFERSBACENSIS,

HENR. GOTTLIEB ADOLPH. GERLACH  
FRAVENHAINENSIS,

IOANNES EHRENFRIED GROHMANN  
WAHRENBRUCENSIS,

CAROLVS FRIDERICVS OCHERNAL  
DAHMENSIS,

CAROLVS FRIDERICVS RADLOF  
LAVCHSTADIENSIS.

Duo autem reliqui eximiae indolis et virtutis iuvenes

IOANNES GOTTLIEB LEHMANN  
SONNEWALDENSIS,

et

et

IOANNES FRIDERICVS VEIT

WEISSENSEENSIS,

latinis orationibus, suo Marte factis, scholam publice  
valere iubebunt; quibus aliis ingenio et studiis aequa  
ac moribus praestans adolescens

CAROLVS THEODORVS KVESTNER

LIPSIENSIS,

suo et condiscipulorum nomine, bonis votis atque  
ominibus, theodisco carmine comprehensis, fidelis  
amicitiae gratiam persoluet.

Cui quidem solemnitati ut VTRIVSQUE REI-  
PVBLICAE LIPSIENSIS PROCERES fre-  
quentes ac lubentes interesse velint, nos non tam  
ambitiosis, quam necessariis rogationibus, et quia ex  
magnis viris, vel tacentibus, adolescentes multum pro-  
ficiant, mirum in modum, etiam atque etiam peti-  
mus et contendimus.

P. P. a. d. V. Non. Maii. A. C. ccccii.

---

IOAN

latinis ora  
valere iub  
ac moribi

CARO]

suo et co-  
omnibus  
amicitiae

Cui qu  
PVBLIC  
quentes a  
ambitiosis  
magnis vi  
ficiant, n  
mus et co

P. P.



S V E I T

cholam publice  
et studiis aequo

VESTNER

is votis atque  
henfis, fidelis

SQVE REI-  
CERES fren-  
nos non tam  
us, et quia ex  
es multum pro-  
ue etiam peti-

CCCCII.

© The Tritton Company, 2007